

1521 alius, prosperis, adversisque rebus adeo varie iactatus, ut humanæ fortis spectaculum censerī merito possit. Nam anno M. ID. classis imperator adversus Bajazetem summo Patrum consensu creatus, cum ad Methonem cum classe Turcica male pugnatum esset, ad Prodonum bene rei gerendæ occasiones amissæ, Naupactum in hostium potestatem venisset, imperio illi abrogato, sublectoque Malchione Trivisano, causam ex vinculis apud totius nobilitatis concilium dicere coactus, rerum capitalium Triumviris Nicolao Michaelē Doctore & Equite, Marco Sanuto, & Paulo Pisano Equite, anno M. D. tertio idus junii, Divi Marci procuratoria dignitate adempta, in Illyrici maris insulas Apforum, & Crepsam exilio damnatus est: verum novem postea emensis annis, ita rerum vicissitudine ferente, qua mortalia cuncta agitantur, Triumviris Bernardo Bembo, Marino Justiniano, Aloysio Gradonico Majoribus Comitiis legem ferentibus, eodem mense junio, universis fere civium suffragiis ab exilio revocatus, ac patriæ restitutus, statimque ad priorem evehctus dignitatis gradum, undecimo post anno amplissimus illi honor delatus est.

*Suffragia
fuere 1260.*

Principe igitur Antonio Grimano creato, tertio nonas quintilis anno M. D. XXI. etsi nondum ad arma palam ventum esset: attamen bellorum semina jam exorta, firmioribus nixa radicibus, acerbos propediem fructus editura videbantur; nam fastus, ac dominandi libido, duæ animorum pestes, quæ mortales sæpe in summa mala præcipitarunt, jam animum Leonis invaserant, qui in flore ætatis, summaque in auctoritate constitutus, assentatoribus undique septus, sui Pontificatus monumenta parum diuturna, & illustria rebatur fore, nisi ad aliquod egregium facinus animum adjecisset, quo memoriam ipsius quam maxime propagaret. Itaque omnibus modis statuit Galliarum Regem in amicitiam allicere, specie ad Italiæ quietem firmandam, re, ut, Carolo regno Neapolitano exuto, cujus potiundi desiderio æstuarē Francisci Regis animum noverat, Ecclesiasticum imperium, privatasque fortunas ingentibus dignitatibus, atque opum incrementis attolleret. Cum vero publicæ retinendæ pacis studiosum Senatum Venetum intelligeret, neque Reipublicæ rationes a Rege sejungi posse animadverteret, in eo in primis summa contentione laborandum duxit, ut defendendæ Italiæ obtentu fœdus sanciretur, quo
fi